



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Ferdinandum Furstenbergium in Albano rusticantem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

O ego dum possim tam leni vescier aurâ,
 Et liquidos fontes, & nemora alta sequi;
 Si qua mihi à Latiis speratur gloria Musis,
 Occidat, & venti nomen inane ferant.
 Hæc ubi luserimus, nos curis reddat & Urbi
 (Jam fatis arvorum est) præpete currus equo.

A D

F E R D I N A N D U M
 F U R S T E N B E R G I U M

in Albano rusticantem.

EX humeris pendebat ebur, lætusque parabam
 Dicere Sarmaticâ confossum cuspide Gotthum,
 Ossaque per campos immania, signaque templis
 Barbara quæ patriis affigit victor, & ipsum
 Ducentem proavos Casimirum in prælia Divos:
 Sed digiti torpent, & inertia reddere tantum
 Fila negant, nullisque calent præcordia flammis.
 Scilicet Aönides mihi quæ dictare solebant
 Carmen, Alexandrum, teque, ô Fernande, secutæ
 Certatim, strepitu infano fumoque relicto
 Urbis, Aricinos gaudent habitare recessus.
 Lucus ubi facer Hippolyto, quem rursus in auras
 Fabula Pæoniis revocatum credidit herbis.
 His tu Telegoni claras monstrantibus arces,
 Albanumque lacum lustras, qui sæpe sine ullis
 Imbribus exuperans ripas, aut sanguine multo
 Decolor instantes clades, & fata monebat.
 Seu fortis bellator, avoque superbus Achille

Ar.

Arma recudisset recidiva in Pergama Pyrrhus;
 Seu Latio fatale malum perrumperet Alpes
 Hannibal, aut magno ruerent examine Galli.
 Roma quidem hos olim domuit; verùm ipsa pavet nunc
 Anxia, ne magni sibi conscia Principis Alba
 Excitet antiquam litem, gentique togatæ
 Auferat imperium in populos rediviva Latinos.
 Nec minùs Ægeriæ fontem, qui lege feroces
 Composuit veterum mores, & corda Quiritum.
 Quà steterit sus alba; ubi Troicus arserit ignis,
 Et Scythicæ quæris monumentum immite Dianæ.
 Hæc fuerant noscenda tibi, postquam ordine cunctas
 Lustraras miserâ pendentes urbe ruinas,
 Quas Hunni fecere, Hunnisque immanior ætas.
 Nunc illæ revocant animos, & ponere turpem
 Post tot lustra situm incipiunt, tristemque senectam
 Exuere, ut quondam serpens, quem frigidus annus
 Ventique pluviaeque diu tenuere latebris,
 Sole novo redeunte ferox, in gramine vivo
 Emicat, & positus tollit sese arduus annis.
 Nec tantùm hæc oculis, verùm quoque pignora nosti,
 Quæ Latiâ tellure latent inclusa cavernis
 Reliquiæ, & veneranda virùm monumenta piorum.
 Effluet illa animo nunquam lux aurea nostro,
 Quâ fido hærentem lateri, dextrâque prehensum
 Cui dignatus amicitiae est me scedere sancto
 Jungere, qui nutu superis mortalia jungit,
 Duxisti magnæ subter penetralia matris.
 Quos ibi Christicolæ luctus, quæ funera gentis
 Vidimus! heu quot busta virùm! qui sanguine leges,
 Et Christi sanxere fidem cùm Numinis acti
 Afflatu subiere rogam, vel fortia læti

Colla

Colla sub immiti passim posuere securi,
Illa pati audaces quæ nec Mezentius author
Extuderat, nec qui furiis agitatus iniquis
Jusserat in Siculo mortem mugire juuenco.
Quæ ne monstra oculis hauriret Tybris, opacâ
Velavisse ferunt nebulâ caput. Ibat in ignes
Certa mori Heroum manus; indignante Tyranno,
Quod paribus flammis unâ morientis obiret
Læta viri in gremio conjux, & funus acerbum
Natorum sicco spectarent lumine matres.
Multi etiam, poscente fero spectacula vulgo,
Pavere Armenias tigres, aut dente leonum
Consumpti vitam in mediis fudere theatris:
Ferales ubi nunc gemitus sub nocte silenti
Sæpe exaudiri fama est, ac dira nocentûm
Supplicia, & portenta modis ululantia miris.
Hic merita infandos exercet pœna Tyrannos,
Hic Antonini lugent, sævique Neronis
Maternâ exululant agitati lampade manes.
Nec tamen ætherei spectant quod luminis auras,
Mitescunt ideò pœnæ. Nam Tartara secum
Lugentesque trahunt campos. It Cerberus ultor
Latratum ingeminans circum, Diræque relictis
Titanum fibris, venientûm terga sequuntur.
Ast illi, magnis permixti Heroibus, inter
Cælestes ignes aurata sedilia complent,
Respiciuntque suam felici fidere Romam.